



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Diffic. III. Aliæ Rationes in Oppositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

quia impossibile, non participat perfectius Deum tanquam finem; jam autem donec probatur positivè, supponitur hic & nunc impossibilis Incarnatio.

Objicitur 4. Idem, supponiturque debuisset recreationem, hoc est reparationem creature rationalis, deviantis per peccatum ab ultimo fine: quæ recreatio non potest fieri à pura creatura, ut infra constabit; ergo satisfacere debuit non nisi Deus, & quia is debet satisfacere qui offendit, cum offenderit homo, debuit esse homo, ergo inferitur Incarnatio, hoc est positio hominis Dei.

Respondetur. Negando possibilem esse explicatam recreationem, quia non demonstratur evidenter. Posito quod sit possibilis; sufficeret illam perfici condonatione divinâ, & titulo misericordiz, non justitiæ.

Objicitur 5. Idem. Sapientia divina cum sit perfectissima, scit & comprehendit illum majorem amorem quem Deus potest habere ad naturam humanam, oportet ergo, quod voluntas divina diligat actum illius majoris amoris, quem Sapientia scit; ut inter voluntatem divinam & Sapientiam sit concordantia, sed major gradus amoris, quem Sapientia divina scit se posse habere ad naturam humanam, est, quod uniatur sibi naturam humanam; Ergo voluntas diligit illum gradum; si diligit, facit, ergo erit Incarnatio.

Respondetur. Hoc argumentum multum probat, probat enim omnes damnatos debere salvari, salvosque esse: quia Deus cognoscit modum dandi illis finalem perseverantiam; deberet ergo, ex vi argumenti, dare actu gratiam illis finaliter eliberandi. Rursus ut proportionentur inter se intellectus & voluntas divina, sufficit ut complacere sibi non nisi in illo modo voluntas divina. Minor etiam est falsa; quia etiam sapientia divina non distat amandam esse efficaciter Incarnationem, si ipsa non sit possibilis; possibilem autem non probas evidenter, quod queritur.

DIFFICULTAS III.

Aliæ Rationes in Oppositum.

Objicitur 1. Vera est per nos hæc Propositionio. Ratio naturalis non potest demonstrare Incarnationem esse impossibilem. Ergo falsa erit hæc contradictoria. Ratio naturalis non potest demonstrare, Incarnationem esse possibilem. Ergo falsa erit & conclusio nostra.

Respondetur. Utamque propositionem esse veram, nec impedit quidquam earum veritatem; non enim sunt contradictoriæ verè, quia contradictoria vera debet illud ipsum negare, quod affirmavit altera: Ergo cum prima negativè demonstrari, secunda affirmare debuit demonstrari, quod tamen non fit, quia utrobi-

que ponitur, Non demonstrari. Legitima contradictoria sic communiter formatur: Ratio naturalis demonstrat Incarnationem esse impossibilem quæ erit falsa. Ratio naturalis non demonstrat Incarnationem esse impossibilem, quæ erit vera.

Objicitur 2. Naturam hominis potest comprehendere naturaliter Angelus, non comprehenderet autem, si nesciret an possit terminari à subsistentia divina.

Respondetur, quamvis Angelus comprehendat naturam humanam, quoad prædicata intra seriem naturalium, non comprehendit tamen potentiam illius obedientialem; adcoque & prædicata in illa fundabilia. Quod autem non comprehendat potentiam Obedientialem, secundum suos terminos sumptam, vel exinde colligitur; quia hi termini possunt esse supernaturales quoad substantiam; quorum cognitio non est debita Angelo nisi secundum principium, *Non implicat*. Deinde quamvis cognoscat Angelus, divinam subsistentiam æquivalere, imò superare infinitas subsistentias creatas; non inde tamen inferre potest, quod supplere possit creatam; quia cognoscit æquivalentiam illam in ordine ad fundandam excellentiam, sed non in ordine ad supplebilitatem, ipsam autem supplebilitatem non nisi solutione contradictionum attingit, sed non per aliquod principium clarum & evidens. Præcisâ autem æquivalentia non fundat supplebilitatem: nam notitia divina, æquivaleret notitiis creatis, quas tamen supplere non potest. Cumque Angelus solverit quascunque contradictiones, cogitat latere aliquam petibilem à Persona divina, cujus interiora certò & evidenter non penetrat Angelus. Quod si quæras, quodnam sit illud principium evidenter illativum possibilitatis Incarnationis? Responderi potest, illud nesciri certò & evidenter quodnam sit; licet sciri possit, quod quodecunque probativum possibilitatis Incarnationis assertur, non sit evidenter probans; ad eum modum, quo, qui scit apparentes demonstrationes quadraturæ circuli solvere, & propriam non habet, scit illas non esse veras demonstrationes, & scit se posse solvere, quod non sit impossibile: licet ignoret, quod sit principium, per quod deducitur quadratura circuli.

Instabis 2. Quicquid est evidenter credibile, est evidenter possibile: non potest enim impossibile esse evidenter credibile evidentiâ verâ. Sed Mysterium Incarnationis est evidenter credibile; aliàs nemo illi teneretur assentiri, ergo mysterium Incarnationis est evidenter possibile.

Respondetur. Hoc argumentum probare etiam mysterium Trinitatis esse evidenter possibile, quod falsum. Directè dici potest, quicquid est evidenter credibile, est etiam evidenter possibile evidentiâ extrinsecâ & morali,

*b

sed

sed non evidentia intrinsecâ, & in ipsis intimis rei fundatâ.

INSTABIS 2. Dicuntur Dæmones scivisse quod Christus esset Filius Dei. Ergo potest dari evidentia de mysterio Incarnationis, idque ut supponitur viribus naturæ.

RESPONDETUR, dici posset scivisse hoc dæmones scientia moraliter evidenti, attentis miraculis Christi, & fortè ex habitis speciebus de peccato à se commissio, quod noluerint se submittere Deo Incarnando, quem incarnatum jam ex circumstantiis vestigabant: estque de fide dixisse dæmones, quod sciverint esse Christum Filium Dei; sed non est de fide, locutos illos de scientia antonomasticos.

INSTABIS 3. Quando executioni mandata est Incarnatio, videbant tunc Angeli naturam humanam non habuisse propriam subsistentiam, si est distincta; si etiam non est distincta, videbant non habere rationem totius, eo ipso quod esset unita. Ergo poterant scire certò & evidenter Incarnationem.

RESPONDETUR, negando imprimis, quod viderint illam esse unitam: hæc enim Unio aut Modalitas erat supernaturalis, adeoque inattingibilis viribus naturæ ab Angelo; consequenter, non poterant videre, quod non haberet rationem totius illa natura, posito autem quod Subsistentia sit Entitas distincta, videre quidem poterant carentiam illius entitatis, sed demonstrare non poterant sibi, quod sine omni subsistentia (si est distincta) saltem divinitus natura existere non possit. Rursus poterant cogitare, quod, sicut datur aliqua qualitas supernaturalis, naturaliter exigens conjunctionem, cum aliqua non nisi rationali natura, ut videre est in Lumine gloriæ; sic etiam dari fortassis subsistentiam supernaturalem exigentem esse non nisi in creatura rationali, ad quam tamen non possent pertingere, imò quamvis penetrassent etiam ad modalitatem illam supernaturalem, necdum plenè cognovissent Incarnationem, quia scire non poterant, an fundasset conjunctionem idiomatum, de quo infra. *Sed videndum, quid ad hanc Objectionem respondeatur ab aliis.*

RESPONDETUR I. Angelum, quamvis tunc non esset subsistentia creata, deceptum fuisse, & putasse inesse illic subsistentiam humanam: idque ideo, quia species infusa Angelo representans humanitatem, ex natura sua representat illam cum propria subsistentia. Quod vero ex parte objecti, fiat tunc mutatio, non attingit ad connaturalem modum operandi ipsius speciei, concurrensque Deus ad talem notitiam gerit se ut à specie præventus. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia, quamvis sit possibile, ut iudicet Angelus, cum non est subsistentia, esse subsistentiam; quod tamen de

facto ita fuerit deceptus, nullum est fundamentum. Tum quia, quamvis species nata representare naturam humanam, ponatur nata representare naturam subsistentiam, cur tamen sine illa non poterit representare naturam, præcipue si ex objecto non sit subsistentia: quia, ut dictum in materia de Angelis, indigent compleri species præsentia objecti, ipsasque universales species non est necesse semper representare omnia sua objecta: nec apparet, cur Angelus medium objectorum, unius speciei, & medium objectorum alius, non possit attingere; de quo supponitur, quod habeat limitatam potentiam cogitandi simul, ita ut v. g. sufficienter expleatur duabus illis medietatibus. Tum quia possibile est Angelus, qui, saltem vel unus, distincta specie, subsistentiam, distincta, naturam attingat: Ergo saltem hic nosceret certò Incarnationem. Addit Aldrete: Angelus habet speciem per quam possit noscere Angelum existentem in tota hac schola, & tamen si in parte illius existat, non determinatur ab illa specie, ut noscat existentem in tota schola; aliàs patetur innumeras deceptiones: Ergo & in præsentia idem dicendum.

RESPONDETUR 2. Cognovisse Angelum carentiam subsistentiæ humanæ, sed non intulisse aliud, quàm quod denegeretur illi concursus ad illam subsistentiam noscendam. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia, hæc ipsa denegatio nullum habet fundamentum. Tum quia, sciebat Angelus, quod Deus non neget concursum tanquam causa prima sine miraculo, intulissetque hoc fuisse miraculosum: cur ergo non processit ut diceret: Subsistit hæc natura humana, subsistentia divina. Tum quia poterat intulisse Angelus denegatum sibi concursum, sed poterat etiam intulisse; inest illic subsistentia divina; cur non enim? ergo id intulit, nec est hoc multiplicare miracula sine necessitate, ad est enim necessitas, quia hæc illatio, potest esse non miraculosa, & quia est necessitas non restringendi perspicacitates Angelicas, quæ poterant ducere ad illam illationem.

Eodem ferme redit illorum doctrina, qui dicunt, ideo Angelum non prænovisse carentiam propriæ subsistentiæ, quia ratione revelationis factæ, cognoscebat in humanitate illa futuram supernaturalem qualitatem, ratione cuius deberetur ipsi potestas ad occultandum se & suas proprietates: sicut naturaliter, Angelus potest pro suo libitu fugere conspectum aliis, & sicut occultantur actus liberi. *Hæc etiam Responsio*

NON SATISFACIT: Nam imprimis, Unde de hoc, quod hæc qualitas fuerit illis revelata, imò quod etiam defacto detur in Christo. Rursus cur supposito quod id prænoverit Angelus, non potius intulit hoc: occultatur mihi, & tamen est illic subsistentia divina; ad quid enim

occult-

ocultaretur, si non esset. Denique negatur esse in potestate Angeli, ut suam subsistentiam occultet: aliud est de actibus liberis, quia est bonum naturæ intellectualis, jus secreti; non est autem unde colligatur hoc bonum, si non nocetur substantia vel subsistentia Angeli.

RESPONDETUR 3. ab Aldrete disp. 28. Sect. 4. qui supponit Angelum non potuisse agnoscere in singulari carentias omnium subsistentiarum, per quas posset connaturaliter subsistere humanitas Christi, nam sicut ipsa subsistentia sunt infinitæ, ita & carentiæ illarum subsistentiarum sunt infinitæ: quas omnes nequit viribus propriis distinguere simul, uno vel multiplici intuitu; neque carentiæ illæ existunt actu, neque possunt existere simul, sed impediuntur per divinum decretum seipso formaliter odio habens illas subsistentias. *Hec Responsio*

NON SATISFACIT: Tum quia, potest Angelus noscere actu singulas partes grani in infinitum divisibilis, ita ut hoc sensu cognoscat omnes, quod nulla sit non cognita, ut vult communis sententia. Ergo poterit & negationes infinitarum subsistentiarum noscere, ita ut nulla sit non cognita. Deinde hanc propositionem, Nullas est in cubiculo, dupliciter possumus attingere: primò descendendo ad singula indivisa, & talis notitia in nobis non datur, sed probabile est, quod nec in Angelo, alias deberet noscere omnia possibilia. Secundò apprehendendo cubiculum, & ultra illud, in illo nihil esse; ad quod non requiritur attingere in particulari singula; cur ergo etiam hoc secundo modo non poterit Angelus attingere negationem subsistentiæ humanæ. Tum quia, quod dicit carentias illas non existere actu, sed impediri divino decreto, id etiam non convincit, quia nullum decretum divinum est necessarium, ut intelligantur existentia carentiarum; idque ideo, quia nullum decretum Dei est necessarium ut Petrus non sit Paulus, ut Paulus non sit Hirco-cervus; Ergo nec requiretur ad prædictas carentias. Deinde, decretum est necessarium, respectu eorum quæ liberè Deus ponit; hinc non est necessarium ut Deus decernat hominem esse animal rationale, quia hoc est necessarium; necesse autem est carentias rerum, consequenter subsistentiarum existere: cum sit necesse, ne sint omnia possibilia actu. Denique quia decretum Dei debet esse causa rerum; quod autem non existit, quomodo causatur? extenditque se decretum nonnisi ad existentias; ergo si aliquorum existere, est non existere, ad illorum existere non se extendet decretum; quia extenderet se ad hoc, ad quod se non extendit; jam autem carentiarum existere, est non existere. Tum quia ex hoc, quod decretum Dei formaliter seipso habeat odio illas subsistentias, potius sequitur existere carentias illarum subsistentiarum, nec satis liquet, quid ve-

lit sibi illa ratio, Nulla carentia subsistentiæ naturalis noscitur, siquidem nulla existit; quia de facto est illic carentia subsistentiæ propria, quæ non est cur non noscatur, cum sit ordinis naturalis, si autem noscitur, cur non inferet evidenter Angelus, esse illic subsistentiam divinam. Tenenda ergo potius erit allata jam responsio.

OBJICITUR 3. Potest Angelus scire certò & evidenter possibilem esse Unionem receptam in humanitate, terminatam VERBO, quia idem est in Unione materiali terminata ad animam rationalem.

RESPONDETUR. Illam Unionem contineri intra potentiam Obedientialem, ad quam non attingit Angelus, aut ad maximum, hoc noscit per solutionem obviarum contradictionum, ut dictum, unde etiam non potest id Angelus inferre ex mysterio Trinitatis; quia in illo non reperitur vestigium conjunctionis personæ divinæ cum creata substantia: nec inferre potest ex Eucharistia, quia illic est Unio nonnisi accidentalis.

OBJICITUR 4. Illud evidens est, possibile esse, quod evidens est Deo convenientissimum esse: sed evidens est convenientissimum esse Deo Incarnationem; quia illa est convenientissima communicatio creaturæ, quæ sit per unitatem personæ.

RESPONDETUR: evidens est summo bono convenire summam communicationem, quæ aliunde supponatur possibilis certò & evidenter, quod non habetur, circa communicationem naturæ humanæ in unitate personæ divinæ.

An Angelus pertingat naturaliter ad Unionem Hypostaticam?

OBJICITUR 5. Angelus pertingat naturaliter ad Unionem Hypostaticam, quia si non esset evidens naturaliter existentia Unionis Hypostaticæ Angelo, idè non esset evidens, quia esset supernaturalis; sed hoc non convincit; nam anima rationalis excellentior est aliquo Ente Supernaturali, & tamen anima, saltem separata potest seipsam noscere evidenter. Deinde, quia Ens supernaturale nectitur cum aliquo, quod est naturaliter evidens intellectui creato, nectitur enim cum visione beata, ut possibili, ergo & Unio nectetur cum eodem, potest enim unio saltem divinitus nosci evidenter ab intellectu; Ergo apparet, quod nectatur intellectus cum hoc objecto.

RESPONDETUR, hanc difficultatem posse procedere in duplici sensu. Imprimis; An possit Unio Hypostatica attingi viribus naturæ, & tamen per notitiam in Entitate supernaturalem; & hoc est impossibile, quia & esset illa notitia supernaturalis, ut supponitur, & non esset superna-

pernaturalis, quia esset debita viribus naturæ. In secundo sensu potest sic procedere; An Objectum hoc supernaturale, quod est Unio hypostatica, possit certò & per notitiam intuitivam, naturaliter tamen attingi: tractat id Aldrete disp. 38. Sect. 4. & quòd id repugnet.

RATIO I. Ex eodem est: quia Entitas quæ superat exigentiam cujuscunq; Substantiæ naturalis, superat etiam ejusdem volitivam, quatenus superat vires naturales merendi, hocque ipso non esset supernaturalis, si esset ex meritis naturæ: Ergo etiam superabit vires intellectivas.

RESPONDETUR. Etiam hæretici volunt beatitudinem æternam, & illam noscunt, & tamen illa notitia in illis est naturalis; multiq; etiam Catholici actu naturali optant contritionem supernaturalem: Ergo apparet, quòd supernaturale non superat simpliciter vires intellectivas naturales; idque ideò, quia nexum cum objecto supernaturali non est necesse, ut ipsum sit supernaturale. Quamvis enim omne illud, quod exigitur à substantia (ut supponitur) naturali, hoc ipso sit non supernaturale; tamen debet esse exigitum, & non per modum objecti, quod ipsum in hoc resolvitur. Quia omne exigitum à substantia naturali, vel est exigitum per modum causarum intrinsecarum, & sic illæ causæ intrinsecæ non erunt supernaturales, cum sint illud ipsum exigitivum, quod supponitur esse naturale; Causæ enim intrinsecæ, indistinguuntur à suo causato; vel certè exigitum à substantia naturali debet esse, exigitum per modum passionis, & sic, cum passionēs sequantur suam radicem, si ipsa radix est naturalis, debet & passio esse naturalis; vel certè exigitum à substantia naturali, est exigitum per modum effectus, & sic, cum causa non possit producere effectum se nobiliorem, nec substantia naturalis, poterit aliquid se solà exigere supernaturale, tanquam effectum. Quæ omnia in hoc resolvuntur, quia inter exigitivum & exigitum debet esse proportio, quia autem objectum, & substantia noscens, non debet esse proportionatum in ratione Entis; ut inductio ostendit, & ratio, quia nec objecto substantia, nec substantiæ illi Objectum quicquam intrinsecum communicat; ideò potest esse Objectum supernaturale, & attingi saltem abstractivè, ut supponitur, à notitia naturali. Ex hoc ulterius deducitur, quare meritum debet esse supernaturale, si præmium sit supernaturale; quia ex ratione meriti, debet esse inter meritum & præmium proportio ordinis; aliàs non erit præmium, sed arbitria liberalitas: non requiritur autem proportio ordinis inter noscens & noscibile.

2. RATIO ejusdem est. Certum est Deum posse efficere aliqua, quæ viribus naturæ non possint evidenter cognosci ab homine, hæc autem sunt supernaturalia.

RESPONDETUR. Talis effectus sufficit, quòd non noscatur intuitivè, licet abstractivè noscibile sit; quia re verà est intelligibile quid: intelligibile autem est objectum intellectus.

3. RATIO ejusdem est. Ideò unumquodq; Ens naturale potest certò & evidenter cognosci ab Angelo, quia non superat exigentiam cujuscunq; naturæ creabilis: Ergo è contra, nullum superans cognosci poterit.

RESPONDERI potest, Negando antecedens, sed ideò noscitur, quia continetur sub intelligibili seu vero.

Quod autem dicit Aldrete, improprietatem in esse physico, arguere improprietatem in esse perfectò intentionali, hoc ipsum probari debuisse.

Ex his discussis haberi hoc potest, quòd Ens supernaturale possit attingi notitiâ certâ naturali, sed abstractivâ, de quo etiam dictum in materia de Ente supernaturali; poteritque hæc notitia esse certa & evidens, licet non intuitivâ. Ceterum Ens supernaturale, quòd non possit per notitiam intuitivam attingi à notitiâ naturali, in hoc resolvitur debet; quia Entium supernaturalium conditio non innotescit nobis, nisi ex doctrina fidei & PP. quia ergo est sacrum pronuntiatum: Incarnationem non posse viribus naturæ attingi, omnem intellectum superare, adeoque esse hanc notitiam quoad substantiam supernaturalem, ideò à nullo creato etiam possibili intellectu intuitivè nosci potest; universalliterque, objectivus excessus in ordine supernaturali, ad omnes se extendit, ut dictum defendendo impossibilitatem substantiæ creatæ supernaturalis. Quamvis autem possit dari de Objecto supernaturali notitia abstractiva, non ideò sequitur, posse certò & evidenter nosci possibilitatem Incarnationis; quia obsunt rationes supra allatæ, obestque conditio potentia obedientialis, quam non noscit, nisi per principium, *Non implicat*. Et cum ipsius rei existentis non possit haberi notitia intuitiva, nisi per proprias, (ut vocant) species; illasque (utpote supernaturales, quia proportionatas suo Objecto) non potest viribus naturæ habere Angelus; ideò nec noscit existentiam Unionis hypostaticæ. Naturalibus tamen viribus potest assentiri, quòd detur unio hypostatica: sed hic assensus, nec erit evidens, nec intuitivus.

Redeundo autem directè ad Objectionem; negatur posse naturaliter nosci intuitivâ notitiâ Unionem hypostaticam. Quia species illius propriæ non habentur, &c. Non potest etiam nosci certò & evidenter existentia illius: quia nullum hujus habetur positivum fundamentum. Paritas de anima non tenet, quia anima non superat se ipsam ordine. Ex nexu autem Entis supernaturalis cum naturali, non potest argui evidens notitia: quia ille nexus non nosci-

tur;

nar, nisi per *Non implicat*, & quidem cum restrictio-
nibus supra positis; notitia autem per *Non
implicat* non est notitia evidens.

COLLIGE, distinguendas esse has tres pro-
positiones. 1. Objectum supernaturale potest
attingi à notitia naturali. Et hæc Propositio
est vera, actumque de illa in materia de Ente su-
pernaturali. 2. Objectum supernaturale potest
nosci naturaliter certò & evidenter; & hæc
propositio est sub hypothesi, vera, si dantur prin-
cipia in talem notitiam inducentia, eò quod non
appareat, cur illa notitia debeat esse nonnisi su-
pernaturalis, si darentur talia principia. 3. Ob-
jectum supernaturale potest nosci intuitivè; &
hæc est falsa, si procedat de cognitione natura-
li, quia id depolcunt & phrascs Patrum, & pro-
portio, ut dictum. Et sicut possumus natura-
lem notitiam certam & evidentem habere de
Deo, non tamen intuitivam naturalem: ita pos-
sumus ponere, quòd possit dari Entis superna-
turalis notitia certa & evidens, non tamen in-
tuitiva.

INSTARI potest ex eodem. Saltem suppo-
niti cognitione supernaturali, potest Angelus
requirere species, quibus medijs, cognitione na-
turali, certò cognoscat existentiam Entis super-
naturalis, & mysterii Incarnationis, quod ipsum
probat. Tum quia, Angelo in particulari est
debita cognitio supernaturalium suorum ac-
tum, quoniam differentia actuum naturalium
illum latere non potest. Tum quia, quicquid
fit, an hoc sit verum, tamen Valentia docet, et-
iam animas separatas esse certas de sua sanctita-
te, idemque docet Cajetan. Bellarm. & favet
Scotus. Tum quia, quòd aliàs debeat quis
experiri suos actus supernaturales, hoc inde est:
quia quomodo Deus posset præcipere naturæ
rationali elicientiam talium actuum? obesset-
que hoc congruæ gubernationi, si tales opera-
tiones non noscerentur.

RESPONDETUR. Negando Antecedens,
probatio ejus prima non convincit, quia Ange-
lus noscit intuitivè *Esse* creaturæ, adeoque dif-
ferentiam ejus à Deo, facitque hoc viribus na-
turæ; & tamen intuitivè naturaliter non noscit
creatorem: Angelusque exercens actum super-
naturalem experitur eadem notitiâ illum ac-
tum, quæ notitiâ ipsa sibi est supernaturalis; &
si vellet hoc attingere intuitivè aliâ notitiâ, de-
beret hoc attingere per actum supernaturalem:
quia quod semel notitiam naturalem superat,
semper superat. Quod attinet ad Valentiam.
Non docet ille, illam certitudinem esse natura-
lem, possetque illa certitudo, ex probabili sen-
tentia, referri in fidem. Denique potest Deus
præcipere elicientiam actuum supernatura-
lium, & dare illorum notitiam; sed nego, quòd
erit illa naturalis; modò autem quando præci-
pit illorum elicientiam, præcipit elicientiam
eorundem in confuso attingendorum, & præ-

cerpendorum nonnisi spe Christianâ, quòd sint
supernaturales; sufficitque hoc ad præsentem
congruam gubernationem, in qua voluit Deus,
ut non sit nobis de fide, quòd simus in gratia
Dei: esset autem de fide, si sciremus certò nos
habere amorem Dei super omnia supernatura-
lem. Quòd autem dubitare prudenter non
possit Angelus v. g. de absentia lucis, cum non
videt lucem, hoc exinde oritur; quia est istud
Objectum non excedens, & nullum habet du-
bitandi fundamentum. Quod autem addit,
illud non esse supernaturale quoad substantiam,
quod procedit ex suppositione nonnisi super-
naturalis: id non convincit; amor enim beati-
ficus procedit ex suppositione visionis, gratia ex
suppositione meriti supernaturalis, & tamen
utrumque hoc est supernaturale.

ASSERO tamen, hoc Objectum quod significa-
tur hoc nomine, Incarnatio, quoad quid rei, seu quoad
Esse Objecti significati, certò & evidenter nosci;
quamvis, quomodo id fieri possit & quòd factum sit,
lumine naturali à id non pertingatur. Hoc secun-
dum supra jam probatum & defensum; pro Pri-
ma parte, sit

RATIO 1. Aliud est cognoscere, quid sit res,
seu quod Objectum hujus significati, & aliud
quomodo fiat: ut aliud est scire, quid sit demon-
stratio de quadratura circuli, & aliud modum
illius adinvenire & penetrare: Ergo etiam alia
erit difficultas, cognoscere, quid sit hoc obje-
ctum, hoc nomine, Incarnatio, significatum, &
alia erit difficultas, quomodo id, & an fieri pos-
sit; sed ratio quæcunque afferibilis, quòd no-
n possit certò & evidenter cognosci possibilitas
Incarnationis, probat nonnisi, quòd non possit
evidenter cognosci, quomodo id fiat: Ergo po-
terit evidenter cognosci quoad id, quod eo no-
mine significatur.

RATIO 2. Scire rem per principia intrinse-
ca rei, est scire certò & evidenter Objectum il-
lo nomine significatum; ut suppono ex mate-
ria de scientia. Sic noscitur Incarnatio, quia
principia intrinseca Objecti significati hoc no-
mine Incarnatio, sunt, Natura creata, Persona
divina, Unio eorundem, hæc autem sciri pos-
sunt; quod probatur. Quia si hæc sciri non
possent, vel scis quid non possis scire, vel non
scis; si scis, habetur intentum; si nescis, ergo ne-
scis illud, quod dicis te nescire.

RATIO 3. Cognoscere rem definitivè, est
cognoscere certò & evidenter: sic noscitur In-
carnatio; quæ definitivè est. Assumptio na-
turæ humanæ in Unitatem Personæ divinæ:
Consequenter PP. de inenarrabilitate Incar-
nationis loquentes, accipiendi, non de Objecto
hoc nomine significato, Incarnatio, sed de
Modo, & de: An id fieri possit? & hoc exten-
do etiam ad Objectum hoc nomine significa-
tum, Trinitas.